Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25960
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Qui conceptus est de spiritu sancto. Natus ex maria uirgine.
Passus sub pontio pilato. Crucifixus. Mortuus. & Sepultus.
Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascen
dit ad celos sedet ad dexteram dei patris omnipotentis. Inde uen
turus est iudicare uiuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum.
sanctam ecclesiam catholicam. Sanctorum communionem. Remissionem
peccatorum. Carnis resurrectionem. Et uitam eternam. Amen.

Quicumque uult saluus esse: Anastasii. ps
ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem. Quam
nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit. absque dubio in
eternum peribit. Fides autem catholica hec est ut unum deum in trini
tate. & trinitatem in unitate ueneremur. Neque confundentes perso
nas. neque substantiam separantes. Alia est enim persona patris. alia
filii. alia spiritus sancti. Sed patris & filii & spiritus sancti una est diuinitas.
equalis gloria coeterna maiestas. Qualis pater. talis filius. talis
& spiritus sanctus. Increatus pater. increatus filius. increatus & spiritus sanctus. Immen
sus pater. immensus filius. immensus & spiritus sanctus. Eternus pater. eternus
filius. eternus & spiritus sanctus. Et tamen non tres eterni. sed unus eternus.
Sicut non tres increati. nec tres immensi. sed unus increatus. & unus im
mensus. Similiter omnipotens pater. omnipotens filius. omnipotens & spiritus sanctus. Et tamen non
tres omnipotentes. sed unus omnipotens. Ita deus pater. deus filius. deus & spiritus sanctus.
Et tamen non tres dii. sed unus est deus. Ita dominus pater. dominus filius. dominus spiritus sanctus.
Et tamen non tres domini. sed unus est dominus. Quia sicut singillatim unamquamque per
sonam deum aut dominum confiteri christiana ueritate compellimur. Ita
tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

Cum simus simus nescimus quando perimus.